

CCLVIII.

Anno 1776. die 2. Octobris. Zagrabiae.

Intimatum Consilii Croatici de Urbe et portu Fluminensi, nec non Bonis Buccarensibus, in quantum Carolostadio Flumen versus ad dextram viae Carolinae sita sunt, Civitate denique Carolostadiensi immediate Regno Croatiae reincorporatis, emanatum.

Excellentissimi, Illustrissimi etc. Dignabatur Sua Sacra Caesareo-Regia et Apostolica Majestas pro materna sua in publica Regni Hungariae et Partium eidem adnexarum Commoda et Incrementum hactenus etiam praehabiti in iis Commericii sollicitudine, ac peculiari hujus Documento et Clementia Caesareo-Regia Benigne resolvere, *ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccariensis, in quantum illa Carolostadio Flumen versus proficiscendo ad dextram viae Carolinae sita sunt (Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, tamquam ad laevam dictae viae Carolinae sitis pro Statu Militari relictis), ipsa praeterea Civitas Carolostadiensis in Liberam Regiamque Civitatem evehenda immediate Regno Croatiae reincorporarentur*; ex taliter porro neo-incorporandis Partibus novus Comitatus erigatur, idemque in omnibus ad normam aliorum Comitatum (iis, quae mox declarandae Directioni Guberniali in Puncto Comerciiali immediate reservarentur, exceptis) *Consilio huic Regio subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsil.*

Pro Eadem porro praedecarata Materna Sua Sollicitudine atque Providentia, volens nimirum, ut Res Commericii in Districtu et Portu hoc Fluminensi ex ipsa ordinata atque systematica manipulatione ad statum florentiorem evehatur, ultro dignabatur Sua Sacratissima Majestas Urbi et Portui huic Fluminensi Dominum Josephum Mailáth de Székhely, antehac Cameralem Consiliarium Aulicum et Referendarium, in Qualitate Gubernatoris, ac cum pari, ac Comes a Zinzendorf Tergesti obtinet, activitate iisdemque Praerogativis praeficere, simulque Eum pro Comitatus ex reincorporando hoc Districtu efformandi et nomine Comitatus Severinensis insigniendi Supremo Comite clementer denominare.

Noverint igitur Praetitulatae D. Vestrae Clementissimam hanc Resolutionem Regiam fine etiam et scopo illo, ut in Commerciis Partem habentes et Traficantes Regnicolae sese dirigere valeant et quo se convertere sciant, intra Jurisdictionem